



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De administratione S. Baptismatis 53

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

Vicesima prima Accusatio Aduersariorum.

De Administratione S. Baptismatis.

C A P . L I I I .



Ae c Accusatio instituta ab Aduersariis est, tantummodo propter externa signa, formamque verborum & rituum, de quibus neque Dominus, neque Apostoli vel verbum præceperunt, neque veteres S. Patres quicquam simile ordinarunt aut obseruarunt: quæque ad verè fidelem & ædificantem huius Sacrosancti Sacramenti perceptionem non faciunt, quinpotius multò magis eam impediunt. Quicquid enim est essentialium rerum in pia administratione huius Sacramenti. Cuiusmodi est, ut homines ad id Christianè percipiendum bene præparentur: mysteria S. Baptismatis diligenter explicitentur, omniaque quæ ad hoc à Domino ordinata sunt, in Ecclesia Dei summa cum Religione ad efficacem fidei & omnisi pietatis ædificationem peragantur, hoc totum apud Aduersarios penitus peruersum est & abolitum. Singulis horis, ac quoquis tempore, etiam cum infans non est in singulari discrimine vita, Baptismum ministrant.

Vtrum pauci an verò Christiani præsentes adsint, de eo parum curant.

Sic neque illud emendatur, quod sæpen numero patrimi & alij homines ad Baptismum accersuntur, qui manifestis & ex communicationem meritis sceleribus sunt contaminati: quodque communiter plurima mandana vanitas, impius risus ac iocus ibi exercentur.

Adhuc omnia dicuntur ibi peregrina & ignota lingua, impiaque festinatione signa quoque sine omni explicatione significationis eorum usurpantur, ita ut apud populum per se nihil aliud adferre possit, quam ut homines omnia quæ apud Baptismum querunt in externis verbis ac signis Sacerdotum ponant, non autem in merito & operatione Domini nostri Iesu Christi, de qua ne verbo quidem edocentur, ac sæpenumero ne Sacerdotes quidem ipsi aliquid nouerunt aut cogitant.

Hac ratione tota Baptismatis actio turpissimè perueritur, & quicquid Dominus & Apostoli in ea ad ædificationem Ecclesiarum suarum ordinarunt, & antiqui Patres quam fidelissimè obseruarunt, quantum ad Baptizantes & officium eorum pertinet, penitus auferunt & aboleuntur. Hunc Abusum Aduersarij non redarguunt, hanc abominationem ne verbo quidem attingunt, imò excusant & defendunt quantum possunt: nobis verò qui eiusmodi falsos abusus & abominationes amouere, & veram, antiquam, Christianam atque Apostolicam S. Baptismatis administrationem restituere, ac rursus in opus perducere, conamur, summis viribus obsistunt.

Nempe ut Baptismus saltem diebus Dominicis, quibus tota Ecclesia

Ecclesia conuenire solet, & ad eiusmodi diuinæ actiones, aptior est, nec non in peculiari præsentia probatorum Christianorum administratur. Id quod antiquæ obseruationi consentaneum est, qua S. Baptismus bis tantum in anno, nempe in festo Paschatis & Pentecostes ministrabatur, hanc solam ob causam, vt hæc actio tanto maiore cum solennitate, ac religione populi perageretur. Huic ordinationi ex diametro repugnat, quod Baptismus omnibus temporibus atque etiam nonnunquam cum homines bene poti sunt, & vix uno aut altero præsente, immo interdum talibus hominibus, qui apud nullam eiusmodi actionem tolerandi sunt, administratur.

Sic quod ordinavimus, ut omnes actiones S. Baptismatis summa reverentia & religione tractentur, vniuersa fides Christiana quam diligentissime & clarissime explicetur, hujusque sacramenti mysteria, perspicue exponantur, quo omnium astantium, & totius Ecclesiæ fides in Dominum nostrum Iesum Christum confirmetur ac proueatur ad fructum pietatis, id sanè ab ipso spiritu S. in omnibus exercitiis Ecclesiasticis, præsertim verò in administratione Baptismatis requisitum est, & à S. Patribus semper hoc modo obseruatum. Quid verò huic simile apud Aduersarios circa Baptismum eorum reperitur, immo verò quid non penitus contrarium ac repugnans? Iudicium esto penes Christianos.

Atque hæc sit generalis defensio libri Reformationis, quantum ad hunc articulum pertinet.

Quò verò ad singulas quoque Aduersariorum obiectiones respondeatur, seruabimus ordinem quem ipsi instituerunt, & ad unamquamque obiectionem suam propriam responsionem subjiciemus.

Prima pars huius Accusationis.

Quomodo de nomine infantis interrogandum sit.

CAP. LIV.

RIMA accusatio est, librum Reformationis antiquam baptizandi consuetudinem in eo violasse, quod non iubet primum omnium, infante ad fores templi allato, de nomine eius interrogare.

Responsio.

IN hac Accusatione prima statim fronte vides Christianæ lector, cuiusmodi culices exiguae mutationis Aduersarij colorare velint, quatos vero Camelos omnimodæ peruersionis omnium eorum, quæ Dominus, Apostoli & veteres S. Patres ordinarunt, præceperunt, ac fideliter obseruarunt.

Liber enim iubet de nomine infantis interrogare, idque etiam ante-